



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

VI. Gregorius Magnus Responsalem Ecclesiæ Romanæ egit in urbe regia.  
Iubetur subsidium implorare adversùs Longobardos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

œconomis singularum Ecclesiarum ab Apocriſtariis diſtinguit loco citato, & capite tertio ejuſdem Novellæ oſtendit Apocriſtarios à ſolis Patriarchis miſſos eſſe, dum prohibet ne Metropolitæ vel Episcopi Imperatorem adeant, niſi à referendario Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ vel ab Apocriſtariis cujuſque Diæceſeos ſanctiſſimorum Patriarcharum exhibeantur. Quod nondum fuit animadverſum, licet valde conducatur ad dignitatem Apocriſtariorum, qui legatione Patriarchæ fungebantur. Hoc munus obibat Anatolius Diaconus pro Dioſcoro Alexandrino, quando in epiſcopatum Conſtantinopolitanum provectus eſt, ut teſtatur Liberatus cap. xii. Breviarj: *Ordinatusque pro eo est Anatolius Diaconus, qui fuit Conſtantinopoli Apocriſtarius Dioſcorig.* Inde factum ut Apocriſtarius dictus fuerit à Conſtantino Porphyrogenneta Legatus qui ex urbe regia quotannis cum muneribus ad barbaros quosdam Patzinacitas mittebatur, ut pacem cum Romanis colerent.

## A D D I T I O

STEPHANI BALUZII.

**H**oc ipſum quod heic de Anatolio dicitur, nimirum eum fuiſſe Conſtantinopoli Apocriſtarium Dioſcorig, tradit etiam auctor Breviculi hiſtoriæ Eutychianiſtarum à Sirmondo editus, ubi hæc habentur: *Tunc temporis Anatolius quidam Presbyter Alexandrinus Conſtantinopoli morabatur. Hæc enim conſuetudo prædictis eſt ut ad comitatum vicibus Clerici dirigitur, ne quid forte cauſa vel neceſſitatis emerget. Fuit ergo iſte Anatolius Conſtantinopoli Episcopus, homo partium Dioſcorig.*

V. Quemadmodum ceteræ patriarcales ſedes Reſponſales ſuos ad urbem regiam deſtinabant, ita quoque Romani Pontifices Diaconis ſuis delegabant munus illud: quod non ſolum Eccleſiæ Romanæ ſed etiam Eccleſiæ univerſæ commodis proficiebat, & publicis Italiæ negotiis, quæ vicinia Longobardorum ſæpiſſime premebantur. Quare fallitur Hinemarſ Remenſis, qui ſtatim poſt tranſlatam Byzantium Imperij ſedem, hunc reſponſalium delegandorum morem indutum exiſtimat, cum is tantum poſt Concilij Chalcedonenſis tempora, præcipueque poſt Juſtiniani victorias, invaluerit, ut dixi: *Apocriſtarij miniſterium ex eo tempore ſumpſit exordium quando Conſtantine M. ſedem ſuam in civitate ſua, quæ antea Byzantium vocabatur, nominis ſui civitatem ampliando edificavit. Et ſic Reſponſales tam Romane ſedis quam & aliarum præcipuarum ſedium in palatio pro eccleſiaſticis negotiis excubabant. Debellatis itaque Gotthis in Italia, Agapetus Papa Pelagium*

Hinemar. ep. 3. c.  
13. edit. Mogunt.

Eccleſiæ ſuæ Diaconum Apocriſtarij munere honeſtavit anno d xxxvi. quo apud Juſtinianum fungeretur; ut nos docuit Liberatus in Breviario cap. xxxii. *Conſtituens Papa apud Imperatorem Apocriſtarium Eccleſiæ ſuæ Pelagium Diaconum ſuum, dum in Italiam reverti diſponit, Conſtantinopoli obiit.* Quo munere non eſt illi exercendæ iuriſdictionis collata facultas, ſed tantum monendi, interpellandi Principis, ſuggeſtionis, non actionis, quemadmodum in Juliano Coenſi Leo muneris huius exemplar & imaginem expreſſerat. Vnde in ſynodo habita Conſtantinopoli à Mena Patriarcha poſt obitum Agapeti, Pelagius Diaconus apoſtolice ſedis poſt omnes Episcopos in Actis Concilij recenſetur, eodemque ordine ſubſcribit.

Si quis tamen contrariam ſententiam tueri vellet, poſſet firmiſſimum in ſpeciem argumentum deſumere ex Liberato, qui primas partes aperte Pelagio Romanæ ſedis Apocriſtario præ ceteris Patriarchis assignat in cognitione qua Paulus Patriarcha Alexandrinus, homicidij reus, Gazæ depoſitus eſt; quod ſe contulerant, ex Juſtiniani mandato, Patriarchæ Antiochenus & Hieroſolymitanus, cum Pelagio. Liberatus cap. xxxiii. *Post hæc miſit Imperator Pelagium Diaconum & Apocriſtarium primæ ſedis Romæ Antiochiam cum ſacris ſuis: quibus præcepit ut cum Euphræmio ejuſdem urbis Episcopo, & Petrus Hieroſolymia, & Hypatia Ephæſinus, venirent Gazam, & Paulo Episcopo Pallium auferrent, cumque deponerent. Pelagius ergo profectus Antiochiam, & inde Hieroſolymam, cum memoratis Patriarchis & aliquantibus Episcopis venit Gazam. Et auferentes Paulo Pallium, depoſuerunt eum &c.* Sed diſcimus ex Procopio eam iuriſdictionem & prærogativam competitiviſſe Pelagio ex delegatione ſpeciali Vigilij Summi Pontificis; qui tunc Conſtantinopoli degens, ſuas vices illi commiſit. Quare cum Juſtinianus, pecunia corruptus, mox Paulum reſtituendum curaret, id obtinere non potuit à Vigilio; qui ſententiam ſuam, id eſt, à Pelagio latam, retractari non poſſe dixit: *Ἐφάκει ὃ ἔχῃ οἱ Θεοῦ τε καὶ τῆς Ἐκκλησίας αὐτοῦ ἀνδρῶν διαργασίαν, πῶς Πελαγίου ἐξεδύλατον γνάσκον.*

VI. Sub Pelagio II. circa annum d lxxxvi. Gregorius Magnus, tunc Eccleſiæ Romanæ Diaconus, Reſponſalis munere apud Principem in urbe regia functus eſt, ut ipſemet teſtatur hiſ verbis: *Tempore quo exhibendis reſponſis ad Principem ipſe tranſmiſſus ſum.* Et alibi: *Dum juſſione Pontificis mei, Conſtantinopolitanæ urbis palatio reſponſis eccleſiaſticis deſervirem.* Inter ceteras verò curas hanc unam Gregorio Pelagius valde

Procopio  
Anatolius  
Episcopus  
Antiochenus  
Hieronymus  
Ephæſinus  
Paulus  
Pelagius  
Agapetus  
Petrus  
Euphræmius

Gregorius  
Mag.  
cap. 13.



commendavit, ut periculo Romanæ urbis Imperatori exposito, subsidium adversus Longobardos impetraret.

CAPVT XVII.

Synopsis.

I. Sub Pelagio II. mos invaluerat mittendi Responsales. Probatum ex sancto Gregorio, qui eundem morem retinuit.

II. Eorum minus in suggestionibus positum. Quid suggestionis vocabulo comprehensum fuerit, explicatur. Responsalis opera usus est Gregorius Magnus ad reprimendam temeritatem Ioannis Patriarchæ Constantinopolitani, qui se Patriarcham universalem esse dicebat. Procuratorio nomine id factum voluit Gregorius, ob dignitatem Romane sedis. Sic apud Gallos, solus Princeps per procuratorem, non autem nomine proprio, litigat.

III. Responsales nullam partem jurisdictionis attingebant, nisi ex delegatione speciali. Ejus duplex genus, à Principe nimirum, aut à Summo Pontifice. Prioris exemplum, sub Mauricio Imperatore; posterioris, sub Vigilio & Gregorio Magno. De causis mediocribus cognoscebant Responsales. Quæ sint causæ mediocres.

**S**ED ex Gregorij Magni Regesto epistolarum tria præcipua capita colliguntur, quæ pertinent ad Responsales apostolicæ sedis. Ac primò quidem Gregorius docet Responsalium delegationem jam sub Pelagio decessore suo ex more pependisse; ut patet ex epistola qua scribit Pelagium II. interdixisse Archidiacono suo, quem juxta morem ad Principes transmiserat, ne cum Ioanne CP. Missas celebraret: Archidiaconum, quem juxta morem ad vestigia Dominorum transmiserat, Missarum vobiscum sollempnia celebrare prohibuit. Idem quoque probatur alio ejusdem auctoris testimonio; quo & secundum caput ostenditur, scilicet Responsales apostolicæ sedis in palatio Principum habitasse, eorumque præsentiam sollicitè ab Imperatoribus expectitam. Interfecto namque Mauricio, Phocas, post arreptum Imperium, cum Gregorio exposulavit quòd juxta antiquam consuetudinem apostolicæ sedis Diaconum in palatio non invenisset. Quod Summus Pontifex non suæ negligentia sed temporum asperitati tribuit, quæ Romanæ Ecclesiæ ministros à palatio abalienabat. quibus verbis prudenter Phocam ad benigniorem vivendi rationem invitat. Nam quòd permancere in palatio, inquit, juxta antiquam consuetudinem apostolicæ sedis Diaconem vestra serenitas non invenit; non hoc meæ negligentia, sed gravissimæ necessitatis fuit: quia dum ministri omnes hujus nostræ Ecclesiæ contrita asperataque temporum formidine declinarent atque re-

fugerent, nulli eorum poterat imponi ut ad urbem regiam in palatio permansurus accederet. Iuxta morem illum, Honoratus Diaconus Constantinopoli degebat quando Gregorius Magnus provectus est ad sedem apostolicam. qui deinde Sabinianum Diaconum pro responsis ecclesiasticis faciendis ad Dominorum vestigia transmisit, eique successorem dedit Anatolium Diaconum; huic verò, temporibus Phocæ Principis, Bonifacium, qui post Sabinianum Gregorij Apocrisarium & in Romana sede successorem, apostolicæ sedis fastigium sub nomine Bonifacij III. obtinuit.

II. Ex variis autem epistolis Regesti tertium caput elicitur, nempe minus Responsalium in suggestionibus positum fuisse, quas Principibus faciebant pro negotiis publicis provinciarum Italiae, quæ tum bello à Longobardis premebantur, tum à Ducibus & Præfectis, contra Principum iussa, tributis & aliis oneribus vexabantur, vel pro negotiis privatis eorum qui calumniis invidorum aut potentium libidini erant expositi. Præcipuè verò, si controversia incideret de disciplina ecclesiastica, monendi Principes & magistratus sollicitudine defungebantur, ne qua vis per obreptionem canonibus fieret. Illud autem summo opere curabant, ne qua fieret injuria sedi apostolicæ, seu in percipiendis patrimoniorum redditibus, quæ in provinciis Italiae, Siciliae, Africae, & aliis sita erant, seu in dignitatis minutione. Quare cum Ioannes Constantinopolitanus Patriarcha sibi Vniversalis nomen adscripsisset, insolentis illius tituli superbam usurpationem Gregorius verbis quidem castigavit, sed præterea egit apud Principem ut vocabulum illud aboleretur. In eam rem usus est opera Sabiniani Responsalis sui, qui ad exemplum Advocati fisci jura Ecclesiæ persequeretur apud Imperatorem, cui disputationis hujus judicium Gregorius detulit: Ac secundum petitionem, inquit, predicti Sabiniani Diaconi, aut piissimus Dominus ipsum dignetur judicare negotium, aut saepe nominatum virum (Ioan-nem) ut ab hac tandem intentione cesset, desistere. Perpendenda sunt verba illa, quibus controversiam dirimi poscit ad petitionem Diaconi sui. Consulebat nempe dignitati sedis apostolicæ, cujus nomen tanquam supplicis inferi non decebat judicij imperatorij formulæ, sed tantum Responsalis nomen. Quemadmodum hodie in Curiis supremis cognitio de juribus Regis & regni, non Regis nomine, sed Procuratoris regij instituitur, judiciumque fertur ad petitionem Procuratoris, ut cum Gregorio loquar. Vnde inter cetera Regis privilegia, hoc quoque numeratur, solum Principem per Procura-

F iij

Gregor. lib. 1. ep. 6. & 27. lib. 3. ep. 51. lib. 6. ep. 24. lib. 11. ep. 45.

idem lib. 4. ep. 11.

Gregor. lib. 11. ep. 45.

Gregor. lib. 11. ep. 45.